



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titvlvs XV. De Sagittariis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

la pœnalis; atque idcirco porrigenda non sit ad casum, verbis strictè acceptis non comprehensum: ut est post unum alterumve diem à conflictu lapsum cum pœnitentia & Ecclesiæ Sacramentis decedentis.

Quintò, quantumvis excommunicatio ab omnibus, in quos lata est, ipsò factò statim animam liget, ad amissionem tamen jurisdictionis & domini loci, ad duellum concessi, ad bonorum confiscationem & alias ejusmodi pœnas, jure jam quæsità privantes, exigi sententiam criminis declaratoriam, *arg. c. Cùm secundum 19. de Hereticis in 6.* ut docet Magister usus, & de aliis quoque pœ-

nis Ecclesiasticis Jure latis infra *Tit. 37. à n. 13.* ex instituto tradetur.

Sextò demum, in Germania aliis. **21.** que provinciis Septentrionalibus Constitutiones Gregorianam & Clementinam, quoad duella privata, propter earum ignorantiam aut promulgationis defectum, in usum non deductas; & duellantes eorumque fautores ac spectatores à Mendicantium Ordinum Confessariis vi fuorum privilegiorum absolvi à Censuris posse, ut post Laiman. *Lib. 3. Tract. 8. p. 3. cap. 5. n. 4.* tradunt *cit. Mendo n. 310. Pirrhing hœc Tit. n. 3. & Gobat in Experient. Appendic. n. 72.*



TITVLVS XV.

De Sagittariis.

SUMMARIUM.

1. *Sagittarii hinc vocantur Ballistarii:*
2. *Quibus artis sue usus in bello tantum iusto,*
3. *Non pro infidelibus contra fideles est permissus.*

1. **S**agittariorum five Ballistariorum nomine hęc Rubricę veniunt ii, qui sagittas, præsertim venenò lilitas, ex arcibus, aut ex ballistis five catapultis saxa jaciendò, vel, ut hodie solet, ex tormentis bellicis five machinis æneis glandes aut gravioris ponderis globos plumbeos, ferreosque ac lapideas pilas ejaculandò arcium urbiùmque obsessarum mœnia turręque, aut

hostium agmina in acie prosterunt, Gonzalez in *c. Unic. n. 3.*

2. His, licet artis suę exercitium non omnino, sed contra Christianos duntaxat & Catholicos interdictum, ex *c. cit.* textu defumatur, non tamen satis constat, an illam in omni aut injusto tantum bello, ut vult Glossa in *c. cit. V. Artem,* contra eos exercere prohibeantur. Quia in re mihi verisimilius est *c. cit.* ab Innocentio III. non damnari ejus artis usum in bello, quod Christianus & Catholicus Princeps vel Respublica justè suscipit contra alium Principem aut Rempublicam suę Religionis; quia justum bellum gerens, an apertè pugnet: aut ex infidiis, prout hac arte fieri existimat Sylvester *V. Ars, q. 6. nihil ad justitiam inferesse,*

reſeſſe, ait S. Auguſtinus relatus *can. Dominus 23. q. 2.* dummodo ejuſmodi ſagittarii ſive balliſtarii iis, quibus utuntur, armis feriendi vim & certitudinem incantationibus aliſque diabolicis artibus non concilient, quod *c. cit.* præcipue caveri, opinantur Barboſa *ibi n. 2.* & Delrio *Diſquiſit. Magic. Lib. 3. cap. 1. q. 4.*

3. Quare *c. cit.* textu memoratus Pa- pa prohibere id poſſimum voluiſſe videtur; ne balliſtas fabricandi & tractandi ars pro Chriſtiani nominis hoſtibus ad-

verſus fideles, & Catholicos præfertim, exerceatur ſub poena excommunicationis, per ſententiam iudicis infligendæ, Barboſa *n. 3.* & Gonzalez *n. 4. in fine*, ſicut ſub ejuſdem cenſuræ poena jure lata, & ſedis Apoſtolicæ abſolutioni reſervata arma aliæque belli instrumenta & ad- jumenta ad infideles, puta Turcas, Sa- racenos aliõsque paganos deferri prohi- bentur, *c. Ita quorundam 6. c. Quod olim 12. & Extravag. 1. inter communes de Judaia, ut Tit. 6. n. 16.* eſt inſinua- tum.



TITVLVS XVI.

De Adulteriis & Stupro.

Post homicidium poenæ statu- untur Luxuriæ ſeu delictis Carnis: ut ſunt Fornicatio, Concubinitus, Stuprum, Adulterium, Inceſtus, Sacrilegium, Raptus & vitium contra Naturam ſive Sodomia, Sylveſter *V. Luxuria q. 1.* De Raptu ageatur ad ſequentem: cætera fla- gitia ad præſentem Rubricam attingentur veriùs, quàm diſcutiantur.

ARTICVLVS I.

De Fornicatione ſim- plici & Concubinitu.

SUMMARIUM.

1. Fornicationis etymon ac definitio.
2. Diſiſo in Simplicem & Concubina-
sum.

3. Fornicatio ſimplex graviter pecca- minoſa,
4. Et Divino,
5. Atque Eccleſiaſtico Jure verita eſt.
6. Naturali Jure eam illicitam eſſe, ne- gantium damnata Opinio,
7. Iſtiusque fundamenta:
8. Que ex ſacris Paginaſ,
9. Fine matrimonii,
10. Et Fornicationis effectibus convul- luntur.
11. Leges Imperiales eam aliquando tol- lerarunt, nunquam approbã- runt.
12. Pena Fornicationis:
13. Cui cum ſoluta conſuetudinem ad- dit Concubinitus:
14. Qui multò magis, quàm fornica- tio, prohibitus,
15. Et poenis, Jure Eccleſiaſtico im- poſitis, obnoxius eſt.

Fornicatio,